

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

247. *Objic. 1.*^o Contra numerum præcognitorum. Præter tria enumerata præcognita, necesse est quoque prænoscere tum *α*) bonitatem consequentiæ, tum etiam *β*) medium demonstrationis, siquidem virtute mediū in conclusione subjectum et prædicatum uniuntur: item *γ*) axiomata seu principia communissima, quæ sunt basis ac fundamentum omnis demonstrationis. Ergo Aristotelis hac in re præcepta corrigenda sunt.

Resp. ad α) *dist.* assertum. Necesse est prænoscere explicitè consequentiæ bonitatem, *neg.*, implicite ac virtualiter, *conc.* Quæ de re superius actum est in præcedenti capite. Adde, quod si deberet bonitas consequentiæ prænosci, id foret necessarium ratione dumtaxat formæ; nos autem hic non agimus de prærequisitis ex parte formæ, sed ex parte materiæ.

Ad *β*) pariter distinguo. Medium debet præcognosci extra præmissas, *neg.*, in ipsis præmissis, *conc.* Nam subjectum et passio præcognoscuntur extra præmissas, ut partes quæstionis, antequam demonstratio instituat. Medius autem terminus sufficit, ut cognoscatur in ipsis præmissis (1).

Ad *γ*) Respondeo principia quædam communissima implicite præcognoscenda esse in ipsis præmissis vel tamquam basis omnis objectivæ certitudinis, ut principium contradictionis, vel ut fundamentum rectæ formæ argumentandi. Non tamen necesse est, hæc actu expresse cognoscere ante omnem demonstrationem, cum passim instituantur demonstrationes sine ulla saltem explicita attentione ad hujusmodi principia.

Objic. 2.^o Quandoque de ipso subjecto inquirimus an sit, ut cum in ipso limine Theologiæ demonstratur an Deus sit: itemque solent sæpe misceri controversiæ circa ipsas definitiones, e quibus aliæ respuuntur, aliæ approbantur, totumque id ope demonstrationis fiat necesse est.

(1) Vide Conimbric., 1.^o *Poster.*, cap. 1, q. 3, n. 2, post initium; Joann. a S. Thom. *Log.*, q. 24, a. 1; Rhodes, *Philos. Perip.*, lib. 1, disp. 5, quæst. unic., sect. 2, *Neque dicas 2.*^o

Resp. dist. assert. Quandoque inquiritur de subjecto particularis demonstrationis, *an sit, neg.*, nisi in aliquo casu disputatio sit de ipsa rei alicujus existentia; inquiritur an sit de subjecto totalis alicujus scientiæ, *subdist.*; per medium intrinsecum et a priori, *neg.*, a posteriori vel ex principiis ab alia scientia mutuatis, *conc.*

Ita Theologia ex principiis metaphysicis demonstrat a posteriori existentiam Dei, idque fieri etiam potest, in scientiis subalternatis, in quibus, si necesse sit, ex principiis subalternantis probatur existentia subjecti.

Plura de his apud Joannem a S. Thoma aliosque.

Quod vero attinet ad definitiones, fateor sæpe contingere de illis disputationes. Id tamen accidit in quibusdam abstrusioribus notionibus, quæ certa non sunt fundamenta principie ullius scientiæ. Nam definitiones objecti scientiarum aliæve, quæ principiorum locum tenent, non debent patere controversiis, sed probari, seu potius declarari solent ex communi hominum sensu atque intelligentia.

DISPUTATIO QUARTA.

DE SCIENTIA.

Hæc postrema tractatio est, ad quam dirigebantur quæcumque in superioribus disputata sunt sive de universalibus, sive de principiis, sive de discursu ac demonstratione. Supposita scientiæ existentia vel certa humani ingenii ad eam assequendam habilitate, quam suo loco adversus Scepticos et Academicos vindicavimus, aliæ nunc restant investigandæ quæstiones.

CAPUT I.

DE NATURA SCIENTIÆ.

Quinque assignantur a Scholasticis cum Aristotele (1) et S. Thoma (2) virtutes intellectuales: *Intellectus principiorum, Sapientia, Scientia, Prudentia et Ars*. Et ratio est, quia *virtutes intellectuales sunt habitus, quibus anima dicit verum. Sunt autem quinque numero, quibus anima semper dicit verum vel affirmando vel negando: scilicet, Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia et Intellectus. Unde patet, quod istæ sunt quinque virtutes intellectuales* (3). Cæterarum omnium aliquam declarationem necessariam reddet melior intelligentia naturæ scientiæ.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit scientia.

Varie
acceptiones
scientiæ.

248. Variæ sunt scientiæ acceptiones. Ut enim omittamus notitias supernaturales, de quibus nostrum non est disputare, modo sumitur *α*) latissime pro quacumque cognitione sive clara sive obscura, sive certa sive dubia: quo pacto *scire* dicimur, quidquid quomodolibet cognoscimus; *β*) modo paulo minus late pro sola notitia certa et evidenti, sive sit immediata sive discursiva seu mediata, sive ordinis pure experimentalis sive rationalis; *γ*) modo denique proprie ac presse pro sola cognitione certa et evidenti discursiva (4); et in hac postrema acceptione nunc sumenda est scientia, quatenus non solum distinguitur a cognitione opinativa, sed etiam a cognitione primorum principiorum et experimentalium. Illam quippe

Quatenam
propria.

(1) Lib. 6.^o *Ethicor.*, cap. 3, seqq.

(2) Lib. 6.^o *Ethicor.*, lect. 3; 1. 2, q. 17, art. 2 et 3; de *Virtutibus*, quæst. 1, art. 12 et 13 etc.

(3) S. Thom., lib. 6.^o *Ethicor.*, lect. 3.

(4) Vide Conimbr., lib. 1.^o *Poster.*, cap. 2, q. 1, a. 1.; Tolet, *ibid.* quæst. 1, *circa primum*; Sotum, *ibid.*, quæst. 2, *Ad quæstionem*; Losada, *Logicæ*, tract. 6, disp. 2, cap. 4; Albert. M., et Lincolnensium apud Conimbricenses.

scientiam definiendam assumimus, quæ proprie nomen istud meretur, et per quam res perfecte ac simpliciter cognosci dicitur. Atqui nec cognitio opinativa nec experimentalis est hujusmodi. Cognitio autem primorum principiorum perfecta quidem est, immo et perfectior in genere cognitionis, quam scientia, nihilominus ex communi more loquendi non solum scientiæ nomen sortiri.

Et quoniam scientia in hac propria acceptione gignitur per demonstrationem, et hæc duplex est, *propter quid et quia*, ut superius exponimus; duplex et ipsa esse potest, altera quæ comparatur per discursum ex effectibus vel ex causis remotioribus vocaturque scientia *quia*; altera, quæ comparatur per discursum ex causa proxima, et nomen habet scientiæ *propter quid*. Hinc duplex dari potest definitio scientiæ, altera quæ utrumlibet discursum permittat, altera quæ omnino requirat demonstrationem *propter quid*: quamvis solam postremam, utpote præcipuam ac præstantissimam omnium, exponendam assumpsit Philosophus, quemadmodum etiam ob eandem causam, præcipue demonstrationem *propter quid* ac potissimam describendam sibi proposuerat, ut superius notavimus. Itaque scientia, quatenus præscindit ab specie demonstrationis, per quam obtineatur, defini potest: *cognitio certa et evidens rei per demonstrationem comparata*. Dicitur *cognitio certa*, ut excludatur *error, opinio, suspicio ac fides humana*, quæ, saltem plerumque, assensum dumtaxat probabilem gignere valet. Est autem scientia cognitio certa, quia nemo proprie ac simpliciter *scire* dici potest, nisi rem infallibiliter cognoscat, seu nisi cognoscat rem ita esse et aliter esse non posse.

Dicitur *evidens*, ad excludendam fidem divinam, quæ obscura sit, oportet: Reliquæ partiæ secernunt scientiam a cognitione principiorum, atque adeo a visione beatifica hominis Deo fruētis in cælo. Et per easdem particulas etiam excluditur ab hac definitione scientia Dei et angelorum, quæ licet *scientia* vulgo audit, non tamen est in proprio et stricto sensu scientia, de qua modo loquimur, utpote carens omni discursu.

At vero scientia perfecta, quæ fructus sit demonstrationis *propter quid*, sic ad mentem Aristotelis defini potest: *cogni-*

Duplex
scientiæ defini-
tio.

prima,

explicatur:

secunda
definitio

tio certa et evidens ex causis; vel si mavis, *ex præmissis causam continentibus*; ubi ex communi interpretatione *causa* sumenda est non tantum *in cognoscendo* sed etiam in essendo. Cæterum *cognoscere rem* per causam tria importat: α) cognoscere causam; β) cognoscere illam esse causam rei, et γ) rem propter illam causam ita esse, ut aliter esse non possit (1). Primum per se patet. Alterum non est etiam minus evidens; quia si quis causam quidem cognoscat in seipsa, non vero causalitatem ejus in effectum, quamvis mox aliunde venerit in hujus notitiam, nequit profecto dici effectum cognoscere per causam. Tertium quoque patet, quia sciri proprie nequit, nisi id quod tamquam certum et immutabiliter tale cognoscitur. Et quoniam scientia notitiam rei per causam importat, oportet, ut causa ita necessario cum re connectatur, ut hæc aliter esse non possit. Non tamen necesse esse videtur, ut quis inter demonstrandum, reflexe, explicitè et signate advertat præmissas esse causas conclusionis; sed sufficit ipsum directum præmissarum iudicium (2).

Car scientia sit notitia per causam.

Quæret quispiam, cur scientia sit notitia rei per causam eamque proximam et adæquatam. Respondetur, quia scientia est notitia rei non qualiscumque sed perfecta. At perfecta rei notitia obtineri nequit, nisi cognoscantur principia ejus causæque. Et ratio est, quia docente Aristotele (3), «ut se res habet in esse, ita in sui perfecta cognitione. Sed esse rei pendet ex causa. Ergo ab ea pendeat illius perfecta cognitio. Quod Philosophi pronuntiatum, ut semel explicetur, in eo fundatur, quod perfecta cognitio non solum attingit prædicatum inesse subjecto, sed quomodo insit, mutabiliterne, an immutabiliter. Cum autem id percipi non possit, nisi cognoscendo radicem hujus inhæsionis, quæ vel est in ipsis extre-

(1) Scire arbitramur unumquodque simpliciter... cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, et quoniam illius causa est, et non est contingere, hoc aliter se habere. Aristot. lib. 1.^o Posterior., cap. 2 initio.

(2) Si quis tamen particulam illam *ex causis* prorsus vellet referre ad causas rei sive in essendo, sive in cognoscendo, is hac definitione non solum scientiam perfectam et *propter quid* comprehenderet, sed etiam imperfectam et *quia*, sicut monuimus de præcedenti definitione.

(3) Lib. 1.^o Metaphysicor., cap. 2.

mis, quæ junguntur, vel extra: quando est in extremis, caret res causa, et per seipsam cognoscitur, ut primum principium; quando vero est extra, tunc res seu conjunctio illa dicitur habere causam, quæ si ignoretur, non poterit radicibus attingi conjunctio» (1).

Hinc est, quod scientia per causam, sive physicam et formalem, sive virtualem, id est, scientia habita per demonstrationem *propter quid* expleat plenissime cupiditatem, qua incitatur animus, rem cognoscendi: id quod minime præstat scientia habita per demonstrationem *quia*, propterea quod est cognitio imperfecta, et ostendens dumtaxat, quod *res ita sit*, non autem *cur ita sit*.

Cæterum cum causa quadruplex sit, formalis, materialis, efficiens et finalis, ut nunc supponimus, quæret quispiam per quasnam earum scientia cognoscat res. Et responsio Aristotelis est, scientiam demonstrationes suas instituire posse per quamlibet harum quatuor causarum (2). Nihilominus nequeunt adhiberi in omni materia indiscriminatim demonstrationes ex qualibet causa petitas, sed aliæ ex aliis convenientius fiunt. De quo videri potest Aristoteles et Conimbricenses (3).

Per quas causas demonstratio fieri possit.

249. Jam si rationem aliquam vel declarationem traditæ definitionis scientiæ petas, ea sic potest ex sensu omnium communi, reddi cum Aristotele: quia *tam scientes quam non scientes, æstimantes tamen se scire, hoc modo accipiunt scire, sicut dictum est. Non scientes enim, qui æstimant se scire, opinantur sic se habere in cognoscendo, sicut dictum est. Scientes autem vere sic se habent. Est autem hæc recta manifestatio definitionis. Definitio enim est ratio, quam significat nomen, ut dicitur in 3.^o Metaphysicor. Significatio autem nominis accipienda est ab eo, quod intendunt communiter loquentes per id nomen significare. Unde in 2.^o Topicorum*

Probat definitio scientiæ.

(1) Conimbricenses, lib. 1.^o Posterior., cap. 2, quæst. 1, art. 2, Prima conclus. Cfr. S. Thom., lib. 1.^o Posterior., art. 4, paragr. b.

(2) Vide Aristot., lib. 2.^o Posterior., cap. 3. Cfr. ibid. 1, Thom., lect. 9; Mauri., Paraphras., lib. 2. Posterior., cap. 6. Conimbricenses., lib. 1.^o Posterior., cap. 2, quæst. 3.

(3) In locis nuper relatis.

dicitur, quod nominibus utendum est, ut plures utuntur (1). Notant autores cum S. Thoma (2), Ægidio Romano aliisque (3) definitionem, qua Aristoteles declarat, quid sit *scire* potius esse nominalem: bene tamen advertunt Toletus (4), et Conimbricenses (5), non ita nominalem esse, quin per eam satis quoque intelligatur, quid reipsa sit scientia. Cæterum definitio, prout a nobis proposita est, realis omnino videtur esse dicenda, cum constet genere ac differentia.

Quotuplex
scientiarum
actualis
et habitualis.

250. Divisiones scientiæ multæ sunt: alia enim est scientia *actualis*, alia *habitualis*. Actualis est assensus certus et evidens per demonstrationem comparatus: habitualis est habitus mentis ac facultas inclinans intellectum ad hujusmodi assensus eliciendos. Utrique perfacile accommodari potest definitio scientiæ supra ex Aristotele proposita; «at cui præcipue competat ex mente Philosophi, non vacat questione, quibusdam pugnantibus pro habituali, quæ absolute scientia dicitur, aliis pro actuali, quam magis sonant verba Philosophi, scire enim et cognoscere significant actionem. Æquior est horum pars, et propter rationem assignatam, et quia actualis perfectior consummatioque scientia est, et ad eam ordinatur habitualis, ut ad ultimam perfectionem in eo genere; unumquodque enim perfectius est in actu, quam in habitu, quod docuit Aristoteles (6), definiens virtutem dispositionem perfecti ad optimum, hoc est, interprete divo Thoma, qualitatem qua subjectum perficitur ad exercendum actum. Ex quibus etiam soluta manet ratio pro altera parte» (7). Quidquid sit de hac controversia, non est res tanti momenti, quæ debeat nos diutius detinere.

propter
quid et quia,
partialis et
totalis.

Alia est divisio scientiæ in scientiam *propter quid et quia* pro ratione demonstrationis, per quam comparetur.

Tertio dividitur in *partialem* et *totalem*. Totalis est complexus conclusionum omnium, quæ circa unum objectum

- (1) S. Thom., 1.^o Posterior., lect. 4, Tertio ibi manifestum est.
- (2) Lect. nup. cit.
- (3) Apud Conimbric., 1.^o Post., cap. 2, q. 1, a. 2.
- (4) Libr. 1. Poster., cap. 2, quæst. 1, Est 3.^a advertendum.
- (5) Loc. nup. cit. in fin. art. 1.
- (6) Lib. 7. Physicor., cap. 3, text. 17.
- (7) Conimbricenses. 2.^o Poster., cap. 2, q. 1, a. 1, paulo post init.

formale versantur: talis est v. g. *Metaphysica*, *Mathesis* etc. Partialis est quævis conclusio per demonstrationem comparata.

Notandum est hic, vix in humanis reperiri totalem scientiam, quæ non sit plena multis conclusionibus non scientificis, nempe certis atque evidentibus, sed aut falsis aut mere opinabilibus ac probabilibus: id quod ex imbecillitate ingenii nostri accidit. Nihilominus istæ omnes vocantur scientiæ, et quia omnes habent scientificam methodum, etiam in quæstionibus incertis atque opinativis, et quia versantur circa objectum scibile, de quo passiones inquirent, ac tandem quia nobiliores partes earum sunt conclusiones demonstratæ, unde in totum eadem scientiæ denominatio derivatur (1).

Quarto divitur in *subalternantem* et *subalternatam*, de qua divisione mox uberius agendum est.

Denique dividitur in *speculativam* et *practicam*. Speculativa sistit in contemplatione rei, qualis est v. g. *Metaphysica*, *Physica*. Practica habet pro fine operationem, ut *Philosophia moralis*. Inter hæc duo scientiæ genera, docente Aristotele (2), consentientibusque communissime veteribus Philosophis, speculativa practicæ generatim in ratione scientiæ preferenda est. Nobilior enim est id, quod est propter se, quam quod est propter aliud: at scientia speculativa est propter se, sistit quippe in veritatis contemplatione, practica autem est propter aliud, nempe propter operationem (3). Quamquam enim possit aliquis practicam scientiam propter seipsam appetere tantum sciendi causa, nec ulterius ad opus ordinare, quia et ipsa etiam, seclusa utilitate ad opus, aliquam veritatis cognitionem præ se fert, ratione cujus appetibilis est, etiamsi aliam utilitatem non afferret, cum sit perfectio naturæ intellectualis; nihilominus id est per accidens, semper enim verum erit, scientiam practicam natura sua, seu quantum est de se, aptam esse ac tendere ad directionem operis, et in hoc discriminari a scientiis speculativis, quæ natura sua in contem-

Scientia
humana
opinionibus
et erroribus
admista.

Subalternans
et subalternata.

speculativa et
practica.

Practica
cedit in dignitate
speculativæ.

- (1) Cfr. De Benedictis *Logic.*, Quæst. *proæmial.*, cap. 3, *Unum est*; Lossada *Logic.*, tract. 1.^o *proæmial.* disp. 1, cap. 8, n. 18.
- (2) Aristot., lib. 1. *Metaph.* cap. 1.
- (3) Vide S. Thom., lib. 1. *Metaphys.*, lect. 1.^a, *Deinde cum dicitur* *Primum quidem*; Suar., *Metaphys.*, 1. disp. sect. 6, n. 31.

platione veritatis delitescent (1). Et hæc quidem sufficiant de scientiæ notione ac speciebus.

251. SCHOLION. Quæret forte quispiam utrum Theologia, quam *scholasticam* dicunt, sit veri nominis scientia.

Varie sunt de hac re opiniones Doctorum. Nam Dyonysius Carthus., Alexander Alensis (2), P. Jacobus Granadus (3), Canus et Zumel (4) et alii (5) tenent Theologiam esse scientiam. Alii vero ut Scotus, Durandus, Gregorius, Gabriel ac Nominales (6) negant. Alii denique ut Cajetanus (7), Toletus (8) et Bañez (9) sentiunt Theologiam esse quidem scientiam, sed imperfectam. Notat enim Cajetanus, et alii Theologiam *nostram* viatorum bifariam posse considerari; secundum se, et prout in nobis viatoribus reperitur. Secundum se Theologia importat cognitionem principiorum fidei et eorum, quæ inde derivantur; prout autem est in nobis importat obscuritatem ex eo procedentem, quod principia revelata ac per fidem credita careant evidentiâ, quare Theologia prout in nobis est præ se fert imperfectionem hanc propriam status viatorum. Docet ergo Cajetanus Theologiam, prout est in nobis, consideratam, esse quidem scientiam, sed imperfectam cum non resolvat conclusiones suas in principia evidentiâ. Quæstio tamen a nobis, agitanda respicit Theologiam, prout in nobis reperitur in hac vita; sive habeat, sive non habeat locum in hac materia distinctio illa Cajetanica in Theologiam secundum se et prout est in nobis. Aliis enim discutiendum relinquimus, num obscuritas sit essentialis necne Theologiæ huic nostræ, vel num hic idem habitus Theo-

(1) Fuse de his P. Benedictus Pererius, *De Communibus omnium rerum naturalium principis* libr. 1. cap. 4. Cfr. Alaman., *Summ. Philosoph.*, Prim. part., quæst. 33, art. 4, et 5.

(2) Apud Granadum Commentar. in 1.^{am} part. tract. *de natura theolog.*, disp. 6; et Vazquez, in 1.^{am} part., disp. 4, cap. 2 seqq.

(3) Loc. cit.

(4) Apud Petrum Arrubal, in 1.^{am} part. disp. 2, cap. 5.

(5) Apud citatos. AA.

(6) Apud AA. citatos.

(7) In 1.^{am} part. q. 1, a. 3.

(8) In 1.^{am} part. q. 1, art. 2, *Conclus. 4 et ultima*.

(9) In 1.^{am} part. q. 1, art. 2.

Utrum
Theologia
scholastica sit
scientia,
dubitantur
quidam
affirmant,

alii negant,
alii scientiam
esse putant,
sed
imperfectam.

Distinctio
Cajetani in
Theologiam
secundum se, et
prout
est in nobis.

logiæ possit in alio statu, nempe beatifico, evidentiâ sortiri, sicut evidens redditur scientia subalternata, cum addiscitur subalternans; nam prima principia subalternata scientiæ, cum sint conclusiones subalternantis, evidenter cognosci nequeunt nisi per demonstrationem, quæ a scientia subalternata datur: an vero Theologia, quæ in altera vita evidentiâ habitura est, sit alius habitus distinctus ab hujus nostræ Theologiæ habitu.

Quæstio ergo proposita videtur potius esse de nomine, nam res certa est. Certum est in primis Theologiam nostram discursivam esse ac certissimam, et in hoc convenit cum scientiis humanis. Certum est etiam hunc nostrum habitum Theologiæ obscurum et inevidentem esse: in quo differt ab omnibus scientiis humanis. Quæstio ergo tota huc revocatur, an Theologia, quia cognitio certa et discursiva est, scientia proprie dicenda sit, necne, licet evidentiâ careat: quæ quæstio in illa controversia generaliori continetur, utrum ad veri nominis scientiam evidentiâ requiratur, an vero sufficiat certitudo cum discursu, ita ut mox dividi scientia possit in evidentem atque inevidentem, sicut datur actus certus evidens et actus certus inevidens, quemadmodum patet ex dictis de certitudine.

Quæ controversia, si ex auctoritate Philosophi veterum—que Peripateticorum decidenda foret, facillimam solutionem haberet, quippe qui nullam scientiam agnoverunt, quæ careret evidentiâ. Idque fatentur etiam auctores arbitantes Theologiam esse veram ac propriam scientiam; tamen putant Aristotelem, si cognovisset principia fidei, quæ certissime creduntur, quamvis non fulgeant evidentiâ, procul dubio Theologiam nostram, non opinionem aut fidem, sed scientiam appellaturum fuisse. Itaque sicut admittitur certitudo sine evidentiâ, quamvis Aristoteles nullam talem agnoverit certitudinem, ita etiam admittendam esse scientiam evidentiâ carentem, ac talem esse Theologiam.

Nihilominus dico Theologiam non videri proprie et univoce scientiam, sed improprie et analogice dumtaxat. Ita sentiunt AA. citati pro secunda sententiâ et præterea Gregorius de Valentia (1), Vazquez (2), Arrubal (3), alique et, quod

(1) In 1.^{am} part. dist. 1, q. 1, punct. 3.

(2) In 1.^{am} partem disp. 4, cap. 6.

(3) Ibid. disp. 2, cap. 6.

Proposita
quæstio magis
est de vocc.

Resolvitur
quæstio.

Auctoritas
S. Thomæ

caput est, S. Thomas, quamvis ab adversariis in contrariam sententiam pertrahatur. Sed perperam. Nam sic scribit: *De ratione opinionis est, quod accipiatur unum cum formidine alterius oppositi, unde non habet firmam inhesionem; de ratione vero scientiæ est, quod habeat firmam inhesionem cum visione intellectiva; habet enim certitudinem procedentem ex intellectu principiorum. Fides autem medio modo se habet; excedit enim opinionem in hoc, quod habeat firmam inhesionem; deficit vero a scientia in eo quod non habet visionem* (1). Atqui Theologia licet habeat firmam inhesionem, visione tamen intellectiva caret. Ergo...

Et alibi: *Quæcumque sciuntur proprie accepta scientia, cognoscuntur per resolutionem* (al. relationem) *in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui* (nempe sunt evidentiæ, ut paulo ante declaraverat S. Doctor, exponens *quid sit præsto esse intellectui*) *et sic omnis scientia in visione rei præsentis* (id est, evidentiis, ut ibi declaratur) *perficitur: unde impossibile est, quod de eodem sit fides et scientia* (2). Atqui conclusiones Theologiæ non cognoscuntur per reductionem in prima principia evidentiæ, nec Theologica cognitio in visione rei præsentis perficitur. Ergo...

Hac eadem ratione utitur alibi S. Thomas ad probandum idem non posse esse scitum et creditum (3); id quod iterum ostendit, quid senserit S. Doctor de evidentiæ ad veri nominis scientiam requisita.

Denique in alio loco hæc habet æque manifestissima: *Si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, nec univoce scientia diceretur* (4).

Quando ergo S. Thomas vocat Theologiam scientiam (5) intellexisse dici potest scientiam, non univoce cum humana scientia, sed analogice. Et simili modo intelligi potest Ange-

(1) S. Thom. 1. 2. quest. 67, art. 3.

(2) S. Thom., de Veritat., quest. 14, art. 9.

(3) In. 2, 2, q. 1, a. 5.

(4) 3.^a Dist. 33, q. 1, a. 2; quæstiuncula 4.^a Cfr. de mente S. Thomæ P. Gabriel Vazquez, loc. cit. cap. 6, n. 14 et 13.

(5) Ita vocat eam in 1 p. q. 1, art. 2; et 2, 2, q. 1, a. 5.

Probatur
ratione.

licus, quando fuse probat de divinis, quæ fidei subsunt, scientiam esse posse (1).

Ratio autem assertionis est, quia cum quærimus, an Theologia nostra sit vere et proprie scientia, nomen scientiæ usurpandum est in ea significatione propria, in qua a Philosophis semper usurpatum est. Sicut quando de Deo quæritur, utrum in Deo sit misericordia, justitia aut ira, secundum proprietatem id quæritur, supposita communi et ab omnibus recepta horum nominum significatione, supposita etiam definitione, qua Philosophi horum nominum propria significata definire consueverunt. Alioqui Theologis liceret, ad nova significata hæc nomina detorquere (2). Atqui scientia in sensu stricto et proprio importat cognitionem discursivam evidentem. Nam secundum Logicos communiter scientia proprie et stricte per demonstrationem existit; demonstratio autem evidentiam principiorum sibi vindicat.

In sensu, inquam, proprio et stricto scientia cognitionem discursivam evidentem importat. Jam enim suo loco monuimus scientiam in fusiori vocis significatione accipi posse pro quavis cognitione, et pro ipso intellectu principiorum, qua ratione etiam notitia, quam Deus et Angeli habent, licet discursiva non sit, scientia appellatur. Ita ergo, quia Theologia ex omnibus cognitionibus simillima est scientiæ, appellata est scientia, nec potest appellari opinio, cum sit certa, nec fides, quia utitur discursu.

Dices 1.^o Philosophi prisci passim certitudinem solam requirunt ad scientiam. Ergo potest stare veri nominis scientia absque evidentiæ.

Resp. Id ipsum ostendit nomine scientiæ intellectum ab illis esse habitum evidentem, ideo enim ita sæpe locuti sunt veteres, quia ignorabant certitudinem separari posse ab evidentiæ: quare vel solam commemorantes certitudinem, evidentiam simul intelligebant.

Dices 2.^o Sed sicut Philosophum circa certitudinem corrigimus, admittentes videlicet certitudinem sine evidentiæ, quidni etiam persuasionem veterum circa scientiam corriga-

(1) S. Thom., Opusc. de Trinît. super. Boet., q. 2, a. 2.

(2) Vazquez, in 1.^{us} part., disp. 4, cap. 7, n. 2.

mus, statuente ad rationem scientiæ ac demonstrationis sufficere certitudinem sine evidentiâ?

Resp. esse discrimen intes scientiam et certitudinem. Quia certitudo ex communi sensu Philosophorum adhesionem firmam mentis importat, excludentem omne dubium atque oppositi formidinem. Et quamvis veteres sapientes arbitrarentur actum hujusmodi rationabiliter gigni non posse nisi ex objecto evidenti, atque adeo sejunctum ab evidentiâ esse non posse; postea vero id falsum esse comprobatum est a Patribus et Theologis in actu divinæ fidei. Non tamen ideo debuit ipsa certitudinis notio variari, utpote quæ præscindit ab evidentiâ, sed solum deserta fuit, tamquam falsa, opinio illa et persuasio, quæ ipsam certitudinis definitionem non attingebat. At vero nunc e converso in ipsa definitione communique intelligentiâ scientiæ continetur evidentiâ. Quare necesse est dicere significationem propriam vocis *scientia* restrictam esse ad actum cognitionis, evidenti discursu partæ, ideoque non licet Theologis Philosophisve christianis pro suo arbitrio vim vocis pervertere, sed potius e converso loquendum illis est secundum usum communi veterum auctoritate firmatum.

Dices 3.^o Teneri potest, Theologiam nostram, saltem secundum se consideratam, subalternari scientiæ Dei vel scientiæ Beatorum, et sic posse esse veram ac propriam scientiam, licet careat evidentiâ. Id namque proprium est scientiæ subalternatæ, ut non habeat evidentiâ nisi dependentem a subalternatâ, ad quam spectat probare a priori principia subalternatæ, saltem si hæc nequeat per seipsam probare a posteriori principia sua. Ita ergo Theologia hæc vera scientia esse potest, subalternata scilicet, quia licet nunc non habeat evidentiâ, habere tamen illam potest, ac porro habebit, cum Theologus principia fidei clare intuebitur in visione beatifica.

Resp. In primis hæc difficultas vincit Theologiam, prout est in nobis, non esse scientiam. Nam juxta veram sententiam, mox probandam, subalternata non habet rationem scientiæ, nisi dependentem a subalternante, quatenus nempe continetur cum hac, ut sic evidentiâ suorum principiorum participet, saltem si ipsa nequeat aliunde probare

evidenter sua principia. Atqui Theologia prout in nobis reperitur, non habet evidentiâ principiorum suorum ullo modo: Ergo vera scientia, etiam subalternata, non est.

Quod vero nec secundum se consideratam Theologia hæc nostra sit scientia subalternata scientiæ Beatorum, probabitur inferius, Deo favente.

ARTICULUS II.

Quid sit sapientia.

252. Diximus in limine hujus operis (1) triplicem esse actionem *sapientiæ*. Primo enim hac voce significari videtur non unus determinatus habitus intellectus, sed rectitudo quædam intellectualis ad bene judicandum de rebus omnibus, consurgens ex perfecta possessione scientiarum omnium: «ad eum modum, quo *justitia* in una acceptione non significat unum singularem habitum, sed concentum, et rectitudinem omnium virtutum voluntatis. Atque ad hanc sapientiæ acceptionem videntur optime accommodari descriptiones illæ Ciceronis: *Sapientia est rerum divinarum atque humanarum causarumque, quibus hæc res continentur scientia* (2). Atque eodem sensu videntur de sapientiâ locuti antiqui Philosophi, qui de ratione sapientiæ aiebant esse, ut omnium rerum sit cognitio, etiam usque ad infimas species et omnes proprietates earum: hoc enim non fit una scientia, sed omnium collectione. Immo si de homine sit sermo, neque per omnes scientias simul sumptas tam exactam rerum omnium cognitionem assequitur; et ideo ipsi aiebant non esse in homine veram sapientiam, sed fucam; nos autem verius dicimus esse in homine veram sapientiam, etiam naturalem, sed humanam hac proinde valde limitatam.»

«Alio vero modo, magisque apud sapientes usitate, sumitur *sapientia* pro aliquo peculiari habitu, idque dupliciter. Est enim quædam, quæ dicitur sapientia simpliciter, alia quæ

(1) *Introduct. in univers. Philosoph.*, paragr. 1, ubi tres hæc acceptiones breviter indicatas vide.

(2) *Lib. 2 de Officiis*, cap. 2.

tantum secundum quid. Illa est quodammodo universalis, non prædicatione aut omnium collectione, sed eminentia et virtute, ut statim declarabimus; hæc est particularis non tantum habitu, sed etiam materia et virtute. De hac posteriori sapientia est longus sermo Socratis apud Platonem, dialogo tertio, seu de *Sapientia*, ubi distinguit sapientiam artificum et gubernatorum, et similes. Et hoc eodem modo videtur dixisse Paulus (1): *Ut sapiens architectus fundamentum posuit*. Dicitur enim sapiens in aliquo genere vel materia, qui scientiam vel artem, quæ circa eam versatur, perfecte novit, et per supremas causas illius generis, ut notavit D. Thomas (2). Alio denique modo, ut ait D. Thomas (3), quædam particularis scientia, seu intellectualis virtus dicitur sapientia simpliciter; et hoc modo usus est Aristoteles hac voce (4) et hoc sensu tribuit Metaphysicæ dignitatem sapientiæ (5). Et in hoc tertio sensu nunc sapientiam declarandam suscipimus.

Hic agitur
de sapientia in
hac tertia
acceptiōne.

Est ergo sapientia simpliciter dicta *scientia, quæ considerat altissimas rerum omnium causas*. Ad rem Angelicus: *Quod est per aliud notum, non statim percipitur ab intellectu, sed per inquisitionem rationis; et se habet in ratione termini. Quod quidem potest esse dupliciter: uno modo ut sit ultimum respectu totius cognitionis humanæ. Et quia ea, quæ sunt posterius nota quoad nos, sunt priora et magis nota secundum naturam, ut dicitur 1. Physicor (6), ideo id quod est ultimum respectu totius cognitionis humanæ est id, quod est primum cognoscibile secundum naturam. Et circa huiusmodi est sapientia, quæ considerat ultimas causas, ut dicitur 1.^o Metaphysicor. (cap. 1 et 2), unde convenienter iudicat, et ordinat de omnibus, quia iudicium perfectum et universale haberi non potest nisi per resolutiones ad primas causas. Ad id vero, quod est ultimum in hoc vel illo*

(1) Cor., cap. 3, v. 10.

(2) 2. 2. q. 45, a. 1.

(3) Ibid.

(4) Lib. 6 *Ethicor.*, cap. 2, seqq. et lib. *Metaphysic.*, cap. 1.

(5) Suarez, disp. *Mel.*, 1, sect. 5, n. 7. Cfr. de his Cardin. Aguirre, *Disputationes selectæ in Logicam et Metaphysicam, Logic.*, tract. 1, disp. 1, sect. 2, n. 14, 15.

(6) Text. Comm. 2 et 3.

genere cognoscibilium, perficit intellectum scientia: et ideo secundum diversa genera scibitium sunt diversi habitus scientiarum, cum tamen sapientia non sit nisi una (1).

Ad declarandam probandamque notionem hanc sapientiæ subjicit Aristoteles quasdam conditiones, quas communis hominum sensus in sapientibus ac sapientia requirit (2), quarum conditionum aliquæ communes sunt sapientiæ cum aliis scientiis speculativis, «aliæ sunt illi propriæ; et illæ quæ communes esse videntur, ita accipiendæ sunt, ut secundum quandam eminentiam et singularem perfectionem sapientiæ conveniant» (3).

Varie
conditiones
sapientiæ:

Prima conditio, sapientem maxime scire omnia, seu sapientiam versari circa omnia, esseque omnium scientiam, ut possibile est, non quod attingat notitiam ipsorum singularium, immo neque etiam descendat ad tractandas distincte ac singillatim omnes rationes proprias seu quidditates diversorum entium in particulari, quemadmodum tractari in specialibus scientiis solent; sed quia cum causas altissimas ultimasque rerum omnium persequatur, et consideret, jure merito rerum omnium cognitionem aliquo modo comprehendere dicitur, nimirum in universali (4). Hoc enim sensu crediderim interpretandam esse primam istam conditionem ex communi Philosophorum sententiâ, secus enim Metaphysica non obtineret dignitatem sapientiæ, quam tamen omnes tribuunt ipsi cum Aristotele (5); nam Metaphysica agit de ente in communi quin descendat ad disputandum de peculiaribus entium generibus. Ratio etiam idem persuadet: *quicumque enim scit universalia, aliquo modo scit ea, quæ sunt subjecta universalibus, quia scit ea in potentia. Sed his, quæ sunt maxime universalia, sunt omnia subjecta. Ergo ille qui scit maxime universalia, scit quodammodo omnia (6).*

prima.

(1) S. Thom., 1. 2 q. 57 a. 2 corp. Cfr. 2. 2 q. 47 a. 2.

(2) Vide Aristot., 1.^o *Metaphysic.*, cap. 2; et S. Thom., ib. lect. 2.

(3) Suarez, *Metaphys.*, disp. 1, sect. 5, n. 8.

(4) Vide Suarez, loc. cit. sect. 5, n. 8, et sect. 2, per totam.

(5) 1.^o *Metaphysic.*, cap. 2.

(6) S. Thom. 1.^o *Metaphysic.*, lect. 2, *Deinde cum dicit: Istorum autem*.